# MAGNIFICO AC STRENVO VIRO D. FRANCISCO *DRACO ANGLO EQVITI AVRATO*

12

Quam benè conueniens rebus Francisce gerendis
  Angliacæ gentis gloria, nomen habes.
Nam velut aduersus fera bruta animosior ire
  Nec solet, vllius vim metuisse Draco.
Sic contra Francisce feros audentior hostes
  Vadis, & illorum cornua torta domas.
Non ortu generis, Virtute sed acritèr ipsa
  Pro patria fidum corque animumque probas.
Ipsa etenim virtus sibimet gratissima merces
  Ipsa viros veré nobilitare solet.
Sola viget virtus, operosaque gloria rerum
  Sola manet tristes nec timet ipsa rogos.
Per varios casus varia & discrimina rerum
  Visus es a vestro longius ire polo.
Sæpius & terris rapidis iactatus & vndis
  Non leuiora vago passus Vlijsse mala es.
Vidisti occiduj longinqua cubilia Solis
  Quâ niger auriferas potat Iberus aquas.
Vidisti populos, quos Sol vicinus adurit
  Aurea quâ flaui splendet arena Tagi.
Hinc meritamque tibi peperit Victoria laudem
  Armatas ducens per freta vasta rates.
Obstitit haud ventus spatiosa nec obstitit vnda.
  Virtuti præbent Ventus et vnda Viam.
Ergo tuum Francisce decus nomenque vigebit
  Maior septena dum micat vrsa face.

I. H. D. Ioh. Hercusanus Danus



*LONDINI*
*Excudebat Ioannes Charlewood.*
*pro Roberto VValle.* 1587.